



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

December

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

DECEMBER

S. XAVER. C. 2

S. BARBARA. V. M.



lov.
pri-
po-
ore
tam
odie
o fi-
Ex
vren
fide-
ium
lum,
mita-
omur
Nat.

L. I.



QU
mon
num
ditus
ita pe
gratu
ubi fi
ex qu
fius ex
tertia
nimu
osten
poliv
scalp
navit
heret
cum
sacra
prece
prece
moz
tam
rum
imbr
te su
non
rum
aliò

S. ELIGIUS EPISC.

I. Decembris.

Quàm altum ELIGIUS virtute sua
 evolaturus in cælum esset, aquila
 monstravit parturienti matri per som-
 num visa. Puer aurifici instituendus tra-
 ditus, artem eam non multo tempore
 ita perdidicit, ut nemo alius hanc tam
 gratus regi Clotario esset; tunc præcipue
 ubi fidem suam ita probavit, ut ex auro,
 ex quo sellam unam tantum facere ius-
 sus erat, geminas concinnaret. Interea
 tertiam sedem cælo aggressus parare, a-
 nimum suum, hic demum artificem se
 ostendit: quando lacrimis hunc per-
 polivit, asperis pœnitentiæ studiis
 scalpfit, omnibusque virtutibus ita exor-
 navit, ut ad spectaculum Calites tra-
 heret. Etenim ex his unum aliquem,
 cum de more noctem ante hierothecam
 sacrarum reliquiarum in somnis inter
 preces traduceret, ipse vidit, ratasque
 preces suas apud Deum esse intellexit:
 mox caput rore tam copioso perfusus &
 tam suavi est, ut jam minime lacrima-
 rum pœniteret, quibus hunc deliciarum
 imbrem provocaverat. Iam quidquid ar-
 te suâ corradebat ELIGIUS, id omne
 non jam Eligii, sed pauperum & captivo-
 rum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec
 aliò Regum benevolentiam utebatur: à
 Bbb qui-

754 VITÆ SANCTORUM. I. Dec.
quibus, cum jam miraculis etiam clarus
esset, Episcopus Noviomensis dictus,
cum eo in munere Apostolus Flandriæ
dici meruisset, cœnobia plura fundasset,
corpus etiam S. Quintini Mart. reper-
tum terrâ eruit, vicemque ipsius suum
huic mandavit. Ex Lipp.

*Noveris licet omnia mysteria, noveris
alta terra, alta cœli, profunda maris; si
te nescieris, eris similis ædificanti sine fun-
damento; ruinam non structuram faciens
quidquid extruxeris extra te erit instar
congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo
sapiens, qui sibi non est. S. Bern. l. 2. de
Confid.*

S. PHILARETUS C. I. Decembris.

PAphlagonia PHILARETUM genuit
rusticæ sortis hominem, sed qui se-
mentem egregiè facere novit. Cum e-
nim optimos agros non malè existima-
ret pauperes esse, in hos liberali manu
diffeminare sua non prius abstinuit,
quàm ipse denique egeret. Non tamen
fidem fefellerè optimi coloni tam bene-
cultura arva. Etenim cum Irene Imp. filio
Constantino sponsam diu circumspice-
ret, Maria demum, formæ id temporis
unicum miraculum, eademque PHILA-
RETUS in neptis, placuit. Igitur Maria ad
regium thalamum, PHILARETUS
ad summos honores, Consulatum ero-
catur.

2. Dec. VITÆ SANCTORUM. 755
catur. Hic verò noster ab aratro Consul
in id potissimum incubuit, ut pauperum
necessitati consulere. Nimirum vidis-
ses proletarios, & uno capite prius cen-
sos censum jam Consulis numerare.
Iam pontem Consulis Curiam dixisses,
pontique incolas conscriptos PP. qui u-
tique frequentes coibant in eum sena-
tum, in quo de ipsorum salute consulta-
batur. Porro *Philaretus* supremum æ-
grotans, cum agnati sanguinis omnes
convocasset, multa præclara moriens o-
racula dedit, ultimo eos omnes suæ in-
miseros pietatis heredes scripsit, & testa-
mentum pulcherrimo dicto (*estote mise-
ricordes*) obsignavit. *Ex Menais.*

*Transferamus, absacro, quæ in hâc alie-
nâ regione habemus: etenim licet multum
inter se distent, facilis tamen est transvectio
per manus pauperum: eorum enim manus
in caelestia promptuaria sibi data reponunt.*
S. Chryl. in cap. 13. Gen.

S. FRANCISCUS XAV. SOC. IESU.
2. Decembris.

FRANCISCUM XAVERIUM, da-
mus, virum, cujus animo alter etiam
orbis angustus fuit. Dum vixit, virgo vi-
xit. Testimonium animo integerrimo
corpus dixit, longè post mortem etiam
in vivâ calce integrum. Sui semper egre-
gius victor non semel è morbidi ulcere
Bbb 2. ipsius

756 VITÆ SANCTORUM. 2. Dec.
ipsum pus hausit. Sed tam sitibundum
Deus deinde tot deliciis per omnem vi-
tam perfudit, ut ebrius sæpè exclamare,
deducto à pectore vestimento, coactus
sit: *Satis est Domine, satis est.* Apostoli
per novum orbem non tam nomen,
quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso
Numine dilectus. Siquidem multò an-
tè in somnis tetri coloris hominem, &
qualem Indum effingimus, portare hu-
meris sibi per quietem visus est. Et quid
aliud vigilans postea egit, cum ejusmo-
di hominum decies centena millia ad
Ecclesiæ gremium suis humeris tulit, &
tot non tam vultus, quàm animos ful-
cos sacrâ undâ solus lavit, & cæli candi-
datos esse jussit. Vaticinia insuper edidit
innumera, precibus mare exarmavit,
exercitus vicit, idem eodem tempore ge-
minis in locis & longissimè disitis, pe-
riclitantibus adfuit, demortuos in vi-
tam revocavit quinque supra viginti.
Omnibus omnia factus, in conviviis et-
jam atque ludis animorum lucrum qua-
sivit, invenitque. Ad extremum dum
amplissimum Sinarum regnum laborat
ingredi, in ipso ejus portu ad cælum ani-
mā appulit. *Ex vitâ.*

*Quid nobis in extremo spiritu futurum
est, cum debilitatis corporis animique vi-
ribus, graviore quàm unquam tentatione
vexabimur, nisi per otium prius spem totam
in Deo reponere, atque ad eum tempestive*

3. Dec. VITÆ SANCTORUM. 757.
confugere didicerimus? Ex Epist. S. Franc.
Xaverii ad socios Goanos.

S. LUCIUS REX M. 3. Decembris.

I Gnosce iterum Anglia, quantum, heu!
quantum mutata ab illâ es, cum præ-
cones veræ fidei aliena regna Reges ha-
buerunt tuos! Sed age in memoriam jux-
tâ mecum revoca avita decora. Lucius
ille tuus (è stirpe regiâ germen) puer
jam Catholica fidei, & verò hæc illi et-
jam arrisit. Nimirum quin hanc ample-
cteretur, unum illud moram injiciebat,
quod nulli ferè tunc nisi sanguine suo
purpurati eam ambirent. Ubi verò pri-
mum transire ad Christianorum partes
etiam palmatas Romæ togas inaudit,
quàm mox statuit etiam coronam suam
Christo submittere. Igitur sanæ fidei Do-
ctores Româ ab Eleutherio Pont. acci-
vit: mox è discipulo ipse etiam Doctor,
& calcato regni fastu è rege Apostolus
Augustam Vindeliciam venit. Constat
hic operæ suæ fructus, ad fidem præ-
ter alios nobilissimâ familiâ adductâ.
Sed & merces sua Lucio constitit, ut-
pote qui verbera & lapidationem in lu-
cro posuit, præcepitque actus in puteum
maximam scilicet inde voluptatem hau-
sit. Nec verò hanc solam Augustam Co-
loniam, etiam alteram Reginoburgam
adiit, neque prius quàm Christum per-
Bbb 3 om.

758 VITÆ SANCTORUM. 3. Dec.
omnem Vindeliciam Noricumque cir-
cumferret, mortē beatā Curiaē que-
vit. Gratias igitur Anglia tibi habemus
extera nationes, & si modò vis, vicem
rependimus, nostrosque tibi Doctores
ecce submittimus. Ex Brev. Cur. O.
Bav. S.

*Pretiosior mens ejus est, quæ aurum de-
spicit, quàm quæ aurum requirit: majores
planè sunt divitiæ, non habere aurum, sed
aurum habentibus eminere. Qui enim pro-
priis abundat bonis, sæculi thesauros non
requirit. S. Maxim. de SS. Thaurin.*

S. THEODULUS C. 3. Decembris.

Ascenderat in id fastigium honorum
THEODULUS, ut aula illum Theo-
dosiana Præfectum salutaret. Verum
his etiam altiora virtus ambiit. Ec-
nim quòd aulae thechnas & insidias pro-
be perspectas haberet, ludos facere
hanc vicissim voluit. Quare assem om-
nem (Philippeorum millia quinque su-
pra quinquaginta) liberali spensione in-
miseros abjecit, ipse columnam Edesse
ascendit, inde aulae fastus, minas, peri-
cula, omnia despecturus. Ita mundo &
fese altior respuit jam cum homunculis
prandere, coepitque cum Calitibus solā
ambrosiā, hoc est, Angelorum pane, dein-
ceps vesci. Post annos sic traductos xxx.
cupido subit scire eccuinam ex Dei
a ni-

3. Dec. VITÆ SANCTORUM. 759
amicis vitæ meritis æquiparandus foret.
Responsum è cælo, Cornelio Mîmo æ-
quandum. Ruborem expressit hoc THEO-
DULO. Adiit tamen virum, & hæc deni-
que sibi fateri coëgit: mimicam artem à
primis annis tractasse, nunc cum in-
mentem ultima illa nec ficta mundi scena
venisset, serium se & frugi esse, nuperque
adeò, ut pudori nescio cuius matronæ, u-
naque decoctoris ejusdem viri, qui à cre-
ditoribus in vinculis tenebatur, libertati
consuleret, vestem & supellectilem ven-
didisse, & corrogatum inde quadringen-
torum aureorum assen alienæ miseræ
donasse. Laudavit tam bene clausam à
Mîmo fabulam THEODULUS, & læ-
tus iterum conscendit columnam suam
paulò post ex hæc in vicinum cælum
transcendit. *Ex Menais.*

*Initium omnis peccati & causa totius
perditionis superbia: propterea quisquis
est, qui salutem tuam operari studeas, ad-
versus hanc signum crucis super caput tuum
habere memento, ut non eleveris in super-
biam, ut non exaltetur cor tuum. S. Bern.
serm. 2. de S. Andr.*

S GALGANUS G. 3. Decembris.

Voluptatibus primò GALGANUS mi-
litavit, tum Christo, D. Michaë-
lis ductu, qui tertio dormientem mo-
nuit, è veterno ut surgeret, & cum som-
no

Bbb 4

760 VITÆ SANCTORUM. 3. Dec.
no vitia excuteret. At ut porro male
dormiret, mater & amici thalamum ob-
trudere laborabant virginis formâ & di-
vitiis inclytâ. Ad hanc cum visum iret,
equiti suo frenum equus iniecit, contra-
que omnia calcaria contumax pedem
proferre medio in itinere negavit, diser-
te tandem cum asinâ Balaami locutus,
quò minus progredereetur, ab Angelo se
prohiberi. Contra tot stimulos calcitra-
re cum equus non posset, neque homo
jam voluit; sed damnatis nuptiis, eo ip-
so in monte (in quo & equi & miraculi
vestigia hodieque visuntur) castra sua
novus miles, hoc est cellam posuit, pri-
mumque trophæum de se, crucem in-
quam ex ense suo inibi defixit. Pugnatum
deinde sæpius, & sæpius orcus fugatus.
Illud plenum periculis prælium fuit,
cum proditum à venatore (ei vestes suas
GALGANUS & equum dederat) ino-
pinantem mater & sponsa oppresserunt.
Constitit tamen sibi, & tunc etiam vi-
ctor matrem Deo se dedere, sponsam
etiam castitati, potentissimis verbis coë-
git. Exinde cum Romam profectus fuit,
qui casam Divi exusserunt hostes, ma-
le omnes perierunt, & id ipsum Pontifi-
ci, cum fieret, Romæ Galganus narra-
vit. Redux deinde ad beatam missionem
illis verbis à Deo vocatus est: *Satis est
quod laborasti; metes nunc quod seminasti.*
Quin igitur & tu laboras, nec parca ma-
nu

4. Dec. VITÆ SANCTORUM. 761
nu rectè facta seminas? Ibi certè falcein
suam in alienam messem nemini licebit
mittere. *Ex Ferrar.*

*Laqueus est mundus, qui voluptatibus
& opibus, velut escis, objectis, allicit at-
que capit incautos, & secum trahit in nas-
sam interitûs. Unde vix possibile videtur,
ut, qui mundi legibus vivit, immaculatus
hinc emigret. Hugo Philonius de Scient.
bene mor.*

S. ANNO EPISC. 4. Decembris.

ANONEM à puero pater suis, hoc
est militaribus, studiis imbuit. Ab-
hinc avunculo auctore à Marte ad Mu-
sas honestissimâ defectione transivit.
Jam Musæ commendarunt Henrico III.
Imp. qui eum inter Palatinos suos adle-
ctum mox infulâ Coloniensi donavit.
Hâc ornatus ad concionem nunquam si-
ne lacrymis auditus est; quod suis ille
signum veluti omnium singultibus daret.
Divitiis cum afflueret, sæpe tamen nec
obulum ipse, omnia pauperes habebant,
quos ille velut thesauros suos (& erant)
secum circumducebat, pater idem ho-
rum, & mater pupillorum. Ædes xeno-
dochii unas, monasteriorum condidit
& amplissimè dotavit quinque, non
morituras filias. Libertatis Ecclesiasti-
cæ egregius propugnator infulam nul-
li, neque adeò, à quo eam acceperat,

Bbb 5

Cæ-

762 VITÆ SANCTORUM. 4. Dec.
Cæsari submittebat, juris quàm vitæ ap-
petentior. Sed nec urbe pulsus à civibus
suis animum despondit. Quòd tamen re-
dux alieniorem ab his animum ferret, vi-
sus est sibi noctu, cum inter Divorum E-
piscoporum comitia locum vellet capel-
lere, aditu prohiberi, quòd in veste cete-
ra candidissimâ unicam maculam præ-
pectore gestaret, quam tamen ipsam
mox unâ cum injuriæ memoriâ ex animo
delevit. Mortuus est an. M. LXXV. cum
se Mariæ unicè ac sapius commendaf-
set. Cælum nempe subiturus januam hu-
jus pulsabat. *Ex Surio.*

*Tandis quisque peccata sua ignorat,
quamdiu curiosè aliena considerat: qui
semetipsum aspicit, non quarit in quo alios
frequenter reprehendat, sed in semetipso,
quod lugeat. S. Bern. l. de Inter. Domo.*

S. BARBARA V. & M. 4. Decembris.

Nullius tam a vitâ nomen abluit,
quam BARBARÆ Dioscorum habuit
parentem Deorum mancipium, ipsa Deo
addicta. Matura, ob formam, turri inclu-
sa, libertate Christianâ, si unquam, est
usâ. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut
fidei radii splendidiùs animis illuce-
rent, binis fenestris tertiam superad-
didit, balneum verò multâ cruce insi-
gnivit, gnara qui mentibus lavar dis
ex hæc fontes scaturirent. Interea cum
stoma-

stomacho Dioscorus intelligit, filiam Christianam esse, & ferro insequitur. Sed sinum, quo parens expulerat, mons præbuit discclusus. Et lubens thesaurum hic occultasset, nisi, qui miraculum viderat, innocentem oviculam pastor nequam prodidisset. Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua videt, sanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera etiam castissimæ abscindi, non facturum, si bibisset ubera. Hic novus filix suæ leno per urbem ludibrio circumduci sustinet unâ verecundia tectam. Denique è tyranno carnifex suâ manu non barbaram filiam barbarissimus parens demetit. Sed carnificis carnifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus extinxit. Nunc BARBARA illis è cælo opitulatur, qui, ne sine sacro epulo diem ultimum obeant, orant. Testis ejus rei locuples Stanislaus est sanctissimus è Societate IESU adolescens; quem si amulabitur, rectè faciet adolescentia. Ex

Baron.
Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem revoca nulli mortali revocabile Christi iudicium, omnium durissimam pœnam, confusionem sempiternam: hoc timore, quasi freno animam tuam, ad vitiosam concupiscentiam proclivem cohibe. Ex Basil. in psal. 33.

S. SA.

S. SABAS ABBAS. 5. Decembris.

S Abam si spectasses, Imperatorem dixisset; ut qui monachorum exercitum non unum ducebat, viros omnes, quales vultu etiam se ferebant, cum ille imberbem in castra sua neminem admitteret. Sævientis fornacis flammam scribitur crucis signo extinxisse; feras & feris magè feros homines domuisse: Agarenum, qui fallaci animo accesserat, terræ hiatus devovisse: templum celo monstrante, in rupe alicubi reperisse: ingenium malum ab ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem nunc cibarius, nunc pecuniis donatus, Iam leonem, qui medicam SABÆ manum expertus erat, ajunt asino custodem ducemque ad pascua fuisse tamdiu, quoad agaso luxurie foedâ se contaminavit, tunc enim devorasse asinum. Ipsum SABAM, cum ad Anastasium Imp. hæreticum iret, anteambulonem habuisse Angelum, verbis impium liberis castigasse, mortemque ei imminentem multo antè prævidisse. Sed & Justinianum itidem Imperatorem palam coronam celo vidisse descendere, & caput SÆÆ ambire, qui tamen exorari non potuit, ut heredem Imperatori apud Deum impetraret, quod hunc hæreticorum partibus accessurum sciret. Denique in ex-
lum

6. Dec. VITÆ SANCTORUM. 765
lum abiisse anno D. xxxi. inter DD. Mar-
tyrum comitatus. *Ex Metaphr.*

*Verè dives est, qui in conspectu Dei po-
test dives videri, in cuius conspectu terra
exigua. mundus ipse angustus est. Solum il-
lum Deus divitem novit, qui sit dives æ-
ternitate, qui non opum sed virtutum fru-
ctus recondat. S. Ambr. l. 3. ep. 1.*

S. NICOLAUS EP. 6. Decemb.

MOres cum lacte ab infantiâ imbibit
NICOLAUS probat, qui cum à
primis cunabulis diebus Mercurii & Ve-
neris semel in die, idque noctu tantum,
maternum lac admisisset, eam consue-
tudinem jejunii per omnem deinde vi-
tam sacrosantam habuit. Adolescens
divitias omnes in pauperes dilapidavit,
ad hoc ingenio etiam, ne gloriolum
mercaretur, usus; uti tum fecit, cum
tribus puellis, quas noverca paupertas
prostituere parabat, dotem trinīs nocti-
bus furtim per fenestras immisit. Subin-
de cum pietatis causâ terram *Christi* ve-
stigiis nobilem peteret, iratum mare
quieti, nautam extinctum vitæ reddi-
dit. Post ex eremo ad homines divinâ
voce evocatus, & divino item indi-
cio Pontifex creatus Myræ, pro liberta-
te Catholicâ fortiter carcerem & vincu-
la tulit. Pro salute suorum sollicitus, etiam
cum longissime abesset, adfuit tamen.
Ita

Ita Imperatori quandoque Constantino
 conspectus iussit sententiam revocare,
 quam in tergeminos Tribunos innocen-
 tes tulerat. Ita institorem in somnis mo-
 nuit, frumentum, quod haberet, in ur-
 bem suam quam fames vexabat, conve-
 heret. Alias vocatus à navigantibus, sa-
 pius opem tulisse visus est. Quid? quod
 animum NICOLAI tumultus ejus est
 imitatus, oleum miseris propinans. Tu-
 mulatus verò memoretur circa annum
 CCC. XXVI. cum moriturus Angelos
 obvios habuisset, etiam nobis occurso-
 ros, si rectam viam insistamus. Ex Iuste-
 nia. & Brev. Rom.

*Post memoriam Virginis singularis tam
 dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus
 fidelium obversatur ut in die tribulationis
 nomen NICOLAI teneatur in ore, re-
 quiescat in corde. Si pulsamur incommo-
 dis, statim S. Confessoris nomen profili in
 os nostrum, NICOLAUS ingeminatur.
 S. Bern. ferm. de S. Nic.*

S. PAULUS CONF. 7. Decemb.

PAULUM parentes dixere, addidit
 deinde virtus Obsquentis cognomen,
 quod ille nec cum Alexandris aut Scipio-
 nibus nunc commutabit. Quid? quod
 cœnobio ipsi, quod habitabat, nomen
 miraculis ingens peperit; Nam illud
 quantum obedientiæ sive exemplum
 sive.

sive præmium fuit, cum picem in ahe-
no bullientem à flammâ, jam jamque
exundantem nudo brachio, quoad sub-
sideret, impunè versavit? Quod fa-
ctum cum alii, ut par erat, laudibus ex-
tollerent, convitiis alii deprimerent;
perfitit tamen ille in statione suâ, suo-
opte iudicio terræ purgamentum & canis pi-
gellus, cælo intereâ omnia alia de ipso
sentiente. Cum enim socii scire percu-
perent, quo loco apud Superos P A U L U S
esset, abrepti animo in felicissimos primi
parentis hortos, P A U L U M illic inveni-
erunt, qui munera (fructus miros) in sin-
gulos dispertiret, simul vale omnibus di-
ceret. Siquidem altero manè ad montem
cœnobio contendit non procul Con-
stantinopoli situm. Ad hujus pedem
cum annos aliquot habitasset, evoca-
tus denique à D E O, velut alter Moy-
ses, in culmen, inde facili transitu in
cælum est. *Ex Menais.*

*Felix, quem in omni confabulatione
duplex timor sollicitat, primum quidem
divine Majestatis, in cujus manus in-
cidere prorsus horrendum; dehinc frater-
ne infirmitatis, cui nihilominus perfa-
cile est offendiculum ponere. S. Bernard.
serm. de tripl. custod.*

S. ASELLA VIRGO. 7. Decembris.

Felix ASELLÆ pater, cui Superi-
 liam, prius quam nasceretur,lympi-
 dā crystallo clausam spectandam obtu-
 lere, ut jam tum animi castissimi sive
 candorem sive splendorem miraretur!
 Sed felicior ipsa ASELLA, quæ in primâ
 ætate Agno jam nupta thalamum in pa-
 rentis domo cellam angustam, lectum
 terram, delicias cum sale panem & fon-
 tanam habuit. Atque ad has nuptias post
 annum ætatis duodecimum, ut mun-
 dum muliebrem non inconvenientem
 sibi pararet, torquem aureum, quem
 pro more familiæ (nobilissima erat) è
 collo pendulum gestabat, clam vendidit,
 emitque qualem à matre exorare num-
 quam poterat, vilem & pulli coloris ve-
 stem, omnibus hæc testata jam mundo
 se mortuam esse. Ita deinceps unius
 Christi amoribus vacare, hunc lacrimis
 poscere, anhelare gemitibus, precibus
 orare, jejuniis cogere; domo interea
 nisi ad templa, numquam pedem effere-
 re; verbo ut genibus ita vitæ consue-
 tudini callum obducere, jamque raro
 miraculo inter medias mundi turbas
 sola agere; & patrias ædes sibi in mo-
 nasterium vertere. Constitit interea cor-
 pusculo etsi tam malè habito suus nihi-
 lominus vigor & integra semper valetu-
 do,

7. Dec. VITÆ SANCTORUM. 769
do, ut videres non tam asperitatem vi-
tæ, quàm delicias obeffe. Obiit anno par-
tæ salutis cccc. l. Vitæ laudatorem ha-
buit Hieronymum ; imitatore[m] quem
nunc. *Ex D. Hier.*

*Beati qui in Domino vigilant cum sobrie-
tate & castitate: protegentur enim ab eo in
iudicii die, & ut sponsi comites atque ami-
ci cum gaudio & lætitiâ eum sequentur &
aspicient. S. Ephrem in Beatitud.*

S. AMBROSIUS EP. 7. Decembris.

AMBROSI I infantis osculum apes
ajunt infedisse, verissimos ejus elo-
quentiæ vates. Deprompsit sanè, cum
libuit, ore suo melos, & hoc adeò ip-
sum Augustinum inescavit, ut qui à Ma-
nichæis venenum hucusque hauserat, ex
ore deinceps AMBROSI I mel legeret.
Episcopum Mediolani prodigiosus præ-
co infans proclamavit. Dicenti ad po-
pulum astare bonum Angelum ipsi hæ-
retici viderunt & inviderunt. Inter hos
multum illi negotii Arriani, plus Impe-
ratrix Iustina, latrones, magique, plu-
rimum dæmon malus fecit, sed incas-
sum omnes. Majestatis Pontificiæ me-
mor, neque majestatem Imperatoriam
exhorruit. Itaque Theodosium ob cæ-
dem Thessalonicensem publicè reum
non nisi post publica pœnitentis animi
Ccc. signa

770 VITÆ SANCTORUM. 8. Dec.
signa templo pedem permisit inferre, il-
lud Davidis exemplo se tuenti incla-
mans, Secutus es errantem, sequere pœ-
nitentem. Vidit igitur tunc orbis caput
suum ante pedes Episcopi jacere, num-
quam ira extollendum, nisi ita demississet
sefe. Porro AMBROSIVS obsessos ab
orco libertati, infantem demortuum vitæ
reddidit, Divorum multorum ossa è te-
nebris in lucem gloriosâ pompâ transtu-
lit, ipsius verò calumniatores morte subi-
ta vindex Deus abstulit. Moriturum ce-
lesti voce excitus Honoratus Epif. sacro
pane refecit, morienti verò blandum ar-
ridere Christus visus est, arisurus etiam
nobis in morte, si fientes in vitâ viderit.
Ex Paulino.

*Cum diluculo surgimus, debemus, primum
quam procedamus ex cubiculo, gratias age-
re Salvatori, Et ante omnes actus sæculi,
actus habere pietatis, qui nos quiescentes
Et dormientes in lectulis custodivit. Ut
enim ego securus dormiam, ille vigilat.*
S. Ambr. serm. 43.

CONCEPTIO B. M. V.
8. Decembris.

Speculum sine maculâ ostendimus;
VIRGINEM Conceptam. Festi hujus
dici originem, quæ sub annum coepit mil-
lesimum ac septuagesimum, sic habet.
Wilhel-

8. Dec. VITÆ SANCTORUM. 771

Wilhelmo Nortmannorum Duce Angliã potiente, missus ab hoc Helmsinus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, fortè per eos dies gravi tempestate jactatur. Nullã aliunde ope affulgente, Stellam maris *Mariam* vocat. Adest pro hæc è cælo Nicolaus, spondet manum naufrago, si *Virginis* Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsedit mare, enatat & vota Helmsinus Sospitatriçi exsolvit. Atque hæc initia ampliora D. Anselmus fecit; amplissimis deinde Indulgentiis ornavit Sixus IV. Pont. Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos luculento miraculo Numen probavit. Etenim Nicolaum Pratensem memorant, ad icona immaculatæ *Virginis* rosam cum his precibus deposuisse, velle juberet, si gratam ei esset, octo dies memoriam Conceptionis suæ agi, nunquam eo anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas floret, quam ipsa ædium limina in Hispaniã his verbis loquantur: *Benedictum sit S. mysterium immaculatæ Conceptionis MARIÆ*. Quid? quod aliter sentientes Doctores rectius nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat. Non habet purum, sed

Ccc 2

sed

772 VITÆ SANCTORUM. 9. Dec.
sed ostendit maculas, speculum. Ex Ba-
ron. & Spinello.

*Opem intercessionis MARIÆ poscamus
singuli, poscamus omnes: oremus ut sit
protectrix in prosperis, submoveat noxia,
suggerat profutura, admittat preces suppli-
cantium intra sacraria divinitatis, nobis-
que impetret consortium suæ beatitudinis.*
S. Hildephon. l. 6. de Assumpt. B. M. V.

S. SYRUS EPISC. 9. Decembris.

SAcra nostra SYRUS à D. Hermago-
râ est edoctus, ipse Papienses docuit,
multum eâ in re S. Iuveni operâ usus,
quem socium expeditiones Hermagoras
addiderat, cuique à morte SYRUS no-
ster medius Martyres inter triumphare
est visus. Veronâ transeunti, ut de fide
nostrâ dicenti fidem haberent incolæ,
testem è tumulo mortuum excivit, &
cum primum Papiam est ingressus, se-
nis civibus gravissimè decumbentibus
salutem corporis, multò pluribus dein-
de animorum tulit, qui verbis miris-
eiusmodi inducti facilè Christianis ac-
cesserunt; tunc præsertim, cum novo
hospiti cedere hospitem Orcinum vide-
runt, qui è puero Syri imperio illicò ad
ergastula sua migravit. Adde è plurimis
aliis illud, quod unum Papiensibus ad-
mirationem parare poterat; nobis ju-
stif.

justissimum metum potest, si impiati
sacram mensam frequentemus. Ausus
est Hebræus inter Christianos profanus
accumbere, divinum cibum ore excep-
tum non stomacho, sed cœno post sacra
daturus. Prohibuit Numen, & vindices
ignes se ore servare scelus advertit, qui
tamdiu miserabili incendio impurum
exusserunt, dum quæ palato impio pen-
debat, Hostiam sacram S Y R I manibus
reddidit. Quid hîc Christiani? porro
mensam cum Iudæo impuri acceditis?
Non sentitis ultores hos ignes? graviores
sentietis. *Ex Surio.*

*Si qui regiam purpuram coinquinant,
haud secius quàm in eam scindunt, puniun-
tur? quid mirum si qui immundâ conscien-
tiâ Christi corpus accipiunt, idem suppli-
cium subeant, quod qui eum clavus cruci
affixerunt? S. Chrysoft. hom. 45. in Ioan.*

S. MENNAS MART. 10. Decembris.

MENNAM Maximinus Antiochiæ
præfecit suis, ut quidem putabat,
sacris, reverà Christianis addictum. Er-
ravit feliciter tamen Imperator, neque
Respublica umquam melius illic stetit,
quàm cum Christianis jus Christianus
Proconsul diceret, & alios verbis, a-
lios miraculis, omnes vitæ exemplo
ad Christum traheret. Id ubi aliquantò

774 VITÆ SANCTORUM. IO. Dec.
ferius rescivit Maximinus, qui rem Deo-
rum restitueret, Hermogenem misit.
Hic de loco ac munere MENNAM, sed
non perinde de constantiâ deiecit: ut
qui resectâ fœdè à pedibus carne in sen-
tentiâ tamen persistit, neque post eru-
tos oculos linguamque vel à viâ virtutis
excessit, vel clamare animo Christum
destitit; quin cum sub noctem medici-
nam membris omnibus ipse Christus fe-
cisset, & Angeli palàm se Martyri jun-
xissent, associare etiam se Hermogenes
non dubitavit, pulchrâ metamorphosi
ex tyranno Episcopus urbis factus. Tot
damnis mactatus Imperator ipse adfuit,
Deosque & se ulturus, Hermogeni manus
pedesque auferri cremarique, ipsum ven-
tre discisso aquis mergi; *Mennam* verò
ex arbore, ex *Mennæ* pede saxum suspen-
di iussit, nobile anathema. Sed ecce mor-
tem tunc uterque, sed postridie Maxi-
minum iterum triumpharunt capite
truncati. Ossa quoque tumbâ ferreâ con-
dita & in mare abjecta nautæ Angeli By-
zantium deportarunt, à loci Antifistite tu-
mulanda. Ibi molliter nunc quiescunt,
qui duriter olim vixerunt. *Ex Surio.*

*Si tantâ curâ agitur, ut aliquanto plus
vivatur, quomodo agendum est, ut semper
vivatur? Et si prudentes dicuntur, qui om-
nibus modis agunt, ne perdant paucos
dies, quam stulti sunt qui sic vivunt, ut
per-*

10. Dec. VITÆ SANCTORUM. 775
perdant aeternum diem? S. Aug. serm. 64.
de verb. Dom.

S. EULALIA V. & M.
10. Decembris.

E Merita Lusitaniæ oppidum, oppidi
longè maximum decus **EULALIA**
est virgo, quæ plures palmas quàm an-
nos, dum vixit, numeravit. Certè an-
num cum vix duodecimum ageret, sævi-
retque in Christianos impietas, vigilem
licet parentum custodiam noctis benefi-
cio sefellit, interque Angelorum comita-
tum in jus ultrò ambulavit. Ibi sic rea
ipsum iudicem accusare ausa est, & ejus
in pios tyrannidem populo spectante &
audiente multis objurgare. Quid? quòd,
cum hic dictis mellitis suadere insisteret,
ut ad Deos transiret, quò dicta illa de-
spueret, in vultum tyranni exspuit;
Deosque & thus Deorum, cumque; his
minas omnes heroo pede calcavit: fla-
gris deinde lacera risit etiam, sanguine-
que suo picta velut superbè circumspexit
se: demum cum faces ardentes admove-
rentur, flammis ore patulo excepit, Deo-
que cum animà lætabunda transmisit. Et
verò ecce testes castissimi & animi &
corpusculi! Ille, uti ipse carnifex specta-
vit, argenteas columbæ pennas indutus
cælo se abdidit. Hoc, ut tumulus mani-
bus

Ccc 4

776 VITÆ SANCTORUM. II. Dec.
bus responderet, prodigiosa nives texe-
runt. Et erubuerunt, puto, hæ, cum
candidius aliquid se, virginitatem vide-
runt. *Ex Prud.*

*Nihil est in omnium virtutum dignitate
præstantius, quam pietas misericordia, &
puras castitatis. His nos præfidiis specia-
liter instruamus, ut tamquam duabus alis
elevati de terrenis mereamur esse caelestes.
S. Leo serm. 4. de Pass.*

S. DANIEL STYLITA.

II. Decembris.

Cælo vicinus incola DANIEL est,
qui annos xxix. columnam habita-
vit, indeque tempestates, & cum his
mortalia omnia generoso supercilio de-
spexit, orci ingens terror, Superis gra-
tissimum spectaculum. Nempe terris a-
deoque se altior, clientes sibi que obno-
xios reges habuit. Ita Leonem filio bea-
vit, & mortis periculo exemptum Im-
peratorem sibi vitam debere fecit. At
Zenoni regni jacturam longè antè vati-
cinatus est. Contra Basiliscum verò Ec-
clesiæ hostem ut pugnaret, è columnâ
descendit, & impendentes Numinis iras
sævienti objecit non vanus augur. Iam
& in dæmonas malos regnum tenuit, e-
que corporibus humanis, cum libuit pro-
scripsit, fuitque cum mulier, quæ Divi
in-

II. Dec. VITÆ SANCTORUM. 777
innocentiam infami rumore asperferat,
à vindice genio obfessa; non potuit ob-
sidione nisi ab ipsa *Danièle* liberari. Cæ-
terum cum cælo uti propinquum, ita fre-
quens illi fuit commercium, sub ultimos
præsertim tres vitæ dies, quibus Cælites
plurimi ad ægrum viserunt. Horum no-
mina prodidit hominis item incola &
dæmon, uti & horam, quâ moriturus
Daniel, & ipse fugandus erat. Obiit ve-
rò anno cccc. lxxxix. In corpore, quod
diu tergemina crux illustravit, tumulan-
do reges laborarunt. Animus fecit, quod
in vitâ jam fecerat; cælum habitavit. Ex
Metaphr.

*Nemo sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus
est. Cui enim justius vivam, quam ei, qui se
non moriretur, ego non viverem? cui commo-
dius, quam promittenti vitam æternam? cui
magis ex necessitate, quam flammam perpe-
tuas minitanti? S. Bern. ep. 143.*

B. JUVENIS ÆGYPTIUS ANONY-
MUS. II. Decembris.

UT exciderit antiquitati nomen ado-
lescentis hujus, aliud certè sibi &
immortale apud posteros peperit. Et
videtur etiam hic minus facturus fuis-
se, si minus peccasset. Et enim Amirani
Saracenorum regis favorem ut accupare-
tur, Christum cum Mahomete muta-
vit,

Ccc 5

vit,

778 VITÆ SANCTORUM. 11. Dec.
vit, & calcatâ cruce, more barbaro im-
pioque sacramentum acinaci dixit. Inge-
nuere ad impium facinus parentes pii,
& pœnitebat hostem Deo & cruci ge-
nuisse, nec jam heredem volebant, qui
ex asse optimam partem avitam pietatem
nollet. Quod tamen unum poterant,
precibus pro perituro apud Deum age-
bant, scelusque non suum suis lacrimis
plectebant. Et profectò plus lacrimis
parentum filius, quàm lacti olim debe-
bat. Infillarunt enim hæ denuò bonam
mentem. Rediit prodigus, & pulchrum
parentum consilium secutus, signa, que
turpiter abjecerat, crucem inquam, ma-
nu venerabundâ sustulit, & intrepidus
palàm iterum ad Amiranum tulit, lacri-
mis interim & gemitibus perorantibus,
quos sapius intercalaris illa Ecclesiæ vox
Kyrie eleison interpellabat. Illum ergo
cum neque fames aut verbera, neque
carcer aut vincula avellere à cruce pos-
sent, naviculæ Amiranus imposuit ca-
pite minuendum. Ergo animus cæli, ca-
put abscissum urbis portum petiit, redem-
ptumque à Christianis centum aureis, &
argento inclusum diu oleum sudare vi-
sum est, ut vel ex hoc Christi Athletam
agnosceres. *Ex Menais.*

*Crucem domini semper in mente, in ore,
ut signo tenete, Crux Dõmini armatura ve-
stra contra satanam, galea custodiens ca-
put,*

put, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni, repellens, gladius iniquitatem sibi propinquare non sinens. Martial. epist. ad Burdeg.

S. SPIRIDION EP. 12. Decembris.

SPIRIDION ex opifione Cypri Episcopus, non vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere sollicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentum coëmeret. Alio item tempore cum avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset; SPIRIDION huic disertis verbis in crastinum annonam spondit. Neque aliter factum quam dictum. Aquarum alluvio auctum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In fures etiam non minus beneficus quam comis fuit. Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, arcana Numinis vis ligatos omnes. SPIRIDIONI tradidisset, exsolvit hic officiosus, & viæ comitem abeuntibus ultro ambulare arietem iussit. Porro filiam, quam, dum olim in matrimonio ageret, sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumulo evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem

780 VITÆ SANCTORUM. 13. Dec.
trem filio etiam, cum hæc gaudio emor-
tua esset. Ultimū cum in messe occupa-
tum ætus gravior affligeret, ros cælo il-
lapsus recreavit, simul alii capilli albes-
cere, nigrescere alii, alii denique canes-
cere visi sunt. Hos ille ut mortis prodro-
mos accepit, postquam illum laudibus
omnis ætatis homines mactaturi essent.
Tu etiam disce hîc non senes modò, sed
& juvenes, quin vix natos capillos emo-
ri. *Ex Surio.*

*Totum quod es, illi debes, à quo totum
habes; illi præcipuè Domino, qui & rese-
cit, & benefecit tibi. Huic totis medul-
lis, totis viribus serviendum: ne forte in-
dignationis oculo te respiciat & despiciat,
& conterat in æternum. S. Bern. de Qua-
drupl. debito.*

S. LUCIA V. & M. 13. Decembris.

SI virgo è cælo fidus lucet, **LUCIAM**
esse credidero virginitatis laude præ-
aliis illustrem. Hæc dum cum matre æ-
grâ ad tumbam D. Agathæ precatur, a-
dest ecce hæc ipsa sanitatis primò nun-
tium matri ferens, tum *Luciæ* mortis op-
tarissimæ & pro Christo subeunda. Sic
igitur moritura *Lucia* omnium primò
testamentum cogitat, & pauperes non
jam scribit, sed facit heredes. Id enim-
verò non ferendum rarus *Lucia* sponsus,
que-

13. Dec. VITÆ SANCTORUM. 781
queritur apud iudicem, & sponsæ dotem
sibi clamat deberi; hîc demum agnoscit
in amoribus non se, sed Christum esse.
Mox igitur, amorî ira successit. Dei nup-
ta leonibus traditur, mancipiis amoris
prostituta. Sed nequeunt mille manus
vivam virgunculam, nequeunt funes &
plura boum juga de loco, minùs de pro-
posito casto dimovere. Ergo sarmenta
congeruntur, rogi accenditur. Sed lu-
cet pulchrius ignibus suis *Lucia*. Gladio
trahitur; sed vivit virgo & viros ani-
mat, & è flammis Imperatoribus mor-
tem, Syracusanis præsentem opem, Ec-
clesiæ pacem vaticinatur. Denique dum
iudex in vinculis Romam abducitur ca-
pitis damnandus, divino cibo recreata,
cælo fidus, ut dixit, inseritur. Sed & ti-
bi illîc adhuc locus est *Mariane*. Stella &
tu es, si virgo es. Fuiſti? Ah! stellam cælo
credas decidisse. *Ex Surio*.

*Deus semper pater est; amarvit nos scæ-
dis, ut ex scædis faceret pulchros. Erimus
pulchri eum amando, qui pulcher est. Quan-
tum in te crescit amor, tantum crescit pul-
chritudo; quia ipsa charitas animæ est,
pulchritudo. S. Aug. Tract. 9. in Epist.
S. Ioan.*

S. IO-

S. IODOCUS CONF.
13. Decembris.

NOVAM litem audite Mariani, quam IODOCUS Angliæ regis filius germano fratri de regno movit, non uter hoc eriperet, sed uter cederet alteri. Fugiebant novo more non opes dominos suos, sed domini opes suas, & quam aliis invitis mors aufert coronam, ultrò ab his abjiciebatur. Denique rex sibi videbatur, non qui regnum coactus adiit germanus, sed IODOCUS, qui regno subduxit sese, & in Galliam aufugit. Hic ille sibi scilicet imperavit, sed & feris non multò post, quas obsequentes illi cælum voluit esse. Illud perjucundum accidit, cum fame placanda ultimum subsidium panis unicus in penultimum *Christus* alium identidem atque alium pauperem præferens unus omnes piissimâ fraude asportavit. Negabant id rectè factum esse discipuli. Sed rectius illos edocuit magister, cum pro iv. è pane frustulis, secundo flumine descendere submissas à cælo totidem naviculas frumentarias ostendit. Demum sacris operanti manus è cælo bene visâ est dicere, quæ quòd terrena regna despexisset, cælestia promisit. Hæc demum placere

13. Dec. VITÆ SANCTORUM. 783

cuere IODOCO, potitusque his est
anno DCLIII. LX. omnino annos in
tumulo integer, virtute in IODOCO
faciente, quod in viris principibus aliis
balsama faciunt. *Ex Flor. Abb.*

*Amemus vitam aeternam, & ex eo no-
verimus, quantum pro illâ laborare debeat-
mus, cum videmus homines amatores præ-
sentis vitæ sic pro illâ laborare, ut, cum
venerit metus mortis, quidquid possunt,
faciant, non ut auferant, sed ut differant
mortem. S. August. serm. 64. de verb. Dom.*

SS. NICASII EP. & EUTROPIA V.

MM. 13. Decembris.

Quid ni animos etiam tu Lector ad
pugnam sumis, toties qui sanguinem
Martyrum vides? Hic N I C A S I I Rhe-
mensis Pont. & sororis ejusdem germa-
næ Eutropia est. Fudit Attila, ebrius
jam dudum ab alio. Rem breviter sic ha-
be. Flagellabat Gallias dux barbarus,
jamque Rhemensibus etiam malum mi-
nabatur, cum cives ad asylon suum N I-
C A S I U M confugerunt. Ille exitium ur-
bi vaticinatus edixit peccata esse, quæ
Attilam armassent; hæc si ponerent, il-
lum quoque exarmandum. Interim bre-
vi morte aeternam ut redimerent, suasit,
neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo
supplicarent. Se vitæ hucusque ducem,
non

784 VITÆ SANCTORUM. 15. Dec.
non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita
latus *Eutropia* stipante, obviam hosti
ad *D. Virginis* progreditur, & humi-
nus dum versum *Davidis* canere incipit,
caput gladio amittit, carmen tamen et-
jam mortuus absolvit. Satis spectatum
esse soror putavit. Quare cum formæ mi-
les parceret, execrata crudelem miseri-
cordiam in oculos carnificis involat,
mortemque invitam in se armat. Interea
contra barbaros cælum movit, cujus co-
piæ visæ, simul iratæ è templo voces in
fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum
verò corpora tam diu lucere faces suas fi-
dera voluerunt, dum terrâ tegerentur,
splendore olim his ipsis certatura. *Ex Sur.*

*Carnem afflixisse, libidinem superasse,
avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse,
pars magna martyrii est. Ergo si tormenta
Martyrum perferre non possumus, vel con-
tra malas concupiscentias repugnemus.*
S. Aug. serm. 4. de Mart.

S. DACHATIUS M. 15. Decembris.

DACHATIUS Palæstinus sex fratres
germanos fertur numerasse, ipse sep-
timus, imò inter omnes primus merito
laudatur. Nam cum pater exigui lucelli
spe, quam Rex Saracenus ostentabat,
inductus, à Christo ad Mahometis par-
tes malum pedem tulisset, repressit suum
Da-

Dachatus, rectè sic à parente degener. Post ubi mortem infelicem sed debitam sceleri tanto pater oppetiit, *Dei* ductu & matris optimæ, Ierosolymas abiit, tinctusque Christianis undis in D. Sabæ cœnobio, ingentibus, quæ postea edidit, præliis egregius sui victor prælusit. Tum denique & cæli ope & suâ virtute satis armatus in patriam excurrit, & cum matri copias junxisset, post multas pugnas fratres omnes dare manus victas Christo coëgit. Unum tantum excipe, qui fide non germanâ, sed Punicâ sanè, *Dachatii* nomen ad Prætorem detulit. Hic vinctum ad Tribunum misit. Sed neque fratris perfidia, neque carnificum tormenta tantum potuerunt, ut non vinceret *Dachatus*. Victor igitur caput gladio submitit tot civicis coronis condecorandum, quot patriæ cælesti cives fratres servavit. *Ex Menais.*

Nihil est quod anima possit equiparari, ne universus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. S. Ioan. Chrysostr. super Psalm. 48.

Ddd

S. CHRI-

S. CHRISTIANA ANCILLA IBERA.
15. Decembris.

Hujus quoque nomen nescimus. credo, quia virtus supra caelos hoc exiit. Illud satis constat, vixisse, cum rerum Constantinus potiretur, & Iberis servitatem servivisse; ceterum præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hac SERVA Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ matronæ gravi morbo afflictum precibus ad Deum fufis valetudini restituerat, cum ejus facti rumor ad aures reginæ gentis perlatus est, tunc itidem graviter fortè à morbo decumbentis. Ergo, cum in spem valetudinis & ipsa venisset, deportari servulorum manibus ad Divam nostram voluit. Ibi in lectulo servili collocata sanitatem extemplò & vires recepit, quas frustra in regis stragulis suspiraverat. Ut verò grata Numini foret, autor esse conjugii regi cœpit, ut Christo se dederet, cui morbi & mors ipsa jam parerent. Ille moris moras nec tebat, dum inter venandum iratos & caelos, & ventos expertus, & in ultimum vitæ periculum devolutus, opem Christi præsentem ipse etiam sensit. Tum vero templum Deo posuit, in quo Diva hæc columnam,

16. Dec. VITÆ SANCTORUM. 787

nam, cum viribus nullis posset, precibus
erexit, suspensamque in aëre tam diu
servavit, dum spectantibus omnibus
suapte motu in locum suum desideret.
Atque in hoc templo primas Christo I-
beri aras, pectora sua devoverunt. Gere-
castum cor, & templum Salomonæo
præstantius erexit. *Ex Socrate & Theod.*

*Quemadmodum febriçitantes appetitum
& robur amittunt: sic qui principum aulas
frequentant, mentem & bonos mores perde-
re solent, nisi frequenter animo repetant hoc
dictum, Nosce te ipsum. Anton. Mach-
serm. 59. sententiarum.*

SSS. ANANIAS. AZARIAS. MISAEEL.
16. Decembris.

A Page vetus Roma cum foculo suo
Scævola tuum! In fornacem hanc
oculos mitte, & superari à pueris He-
bræis viros tuos specta. Tres erant (A-
NANIAM, AZARIAM, MISAELEM dixe-
runt) principes juventutis, interque e-
phebos regis Nabuchodonosoris accensi.
Hic in eâ ætate formæ gratiam & se-
nem in pueris sapientiam amabat; at
Deus amplius quid, virginem animum
& à regis mensæ deliciis abstinentem. I-
ta de adolescentum amore rex magnus
& Max. *Deus* certarunt. Quid nî hic
vinceret? Fortè statuas posuit Na-
bu-

Ddd 2

788 VITÆ SANCTORUM. 16. Dec.
buchodonosor, auream illam, sed super-
stitione infamem. Facile erat aliis persua-
dere, ut aurum adorarent, in quo omnis
ætas delirat. Uni ex omnibus hi pueri
sapuerent, disertis verbis dicitantes
regem se, ut par est, veneraturos, ce-
terum DEUM solum adoraturos, & an-
tè morti animam quàm statuæ genua
submissuros. Stabat fornax valdè flam-
mans. In hanc abjiciuntur nobiles ani-
mæ. Inhorruit ad facinus ignis, & vim
à virtute venerabundus repressit; quin
impetu potiùs in hostes factò longè plu-
rimos corripuit, & succidaneas victimas
cremavit. Angelus etiam è cælo sub-
missus flammis beato rore temperabat,
lenique aura demulcebat juvenes magna-
nimos. Ergo inter hæc supplicia cantare
etiam placuit, & quò plenior foret musi-
ca, cælum terrasque animare. Iamque
Nabuchodonosor ipse innocentiam
patrono igne sanctam absolvit, mira-
culique toto regno perliteras præco, di-
vinum honorem rectè homo Numini
transcripsit. Ex Daniele.

*Habentes cor ardens in viâ Domini, &
inter ignes sæculi divino igne muniti, sicut
illi in camino pueri inter sibilantes impetu
flammas vorabimur & hymnum Domino
inter incendiarefrigerantia, Deo filio con-
dinente, cantabimus. S. Paulin. ep. 29.*

S. LA.

S. LAZARUS CONF.

17. Decembris.

ILle LAZARUS est, quo fratre germano nobiles sorores Martha & Magdalis gaudebant, Christo dilectus, & ab hoc amici etiam nomine donatus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas Deo & gemitus potuit excutere, eoque adigere amantem, ut contra ferreas mortis leges sepultum jam & tabescentem vitæ, & quod caput est, amicitia suæ redderet; quæ unica puto causa fuit, cur è sinu Abraham non invitus rediret LAZARUS. Cæterùm sic vivus invidiâ tantum non emori Iudæos fecit, nimis contra improbos magnus certusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis insidias struxerunt, stultissimo consilio, cum fatis jura dicere Christum viderent notum jam nuper LAZARI patronum. Hoc tamen in cælos, & Apostolis in divisum à se orbem abeuntibus, revixere odia in LAZARUM nobilemque familiam. Itaque cum Maximino (è schola Christi & LXXXII. discipulis fuit) Marthaque & Magdalenâ sororibus, virgine item Marcellâ, exul in navim compingitur, velis remisque sed non cælesti etiam aurâ destitutam. Nam LAZARUM sociosque in Gallias tulit, & innoxios

D d d 3

Massi-

790 VITÆ SANCTORUM. 18. Dec.
Massiliae exposuit. Miraculo & hac & a-
lia vicinæ urbes permultæ Christo credi-
derunt. Tum demum amoribus suis in
filvis Magdalena vacavit, Martha san-
ctis virginibus, Lazarus civibus Antisti-
tes præfuerunt. Dubium ergo est *Laza-
rus* ne invenerit illic portum, an o-
stenderit Gallis? certè absque *Laza-
rus* fuisset, naufragium in portu Massilien-
ses fecissent. *Ex histor. Evang. & Brev.
Rom.*

*Iusti mors ut præsentis est exitus vitæ ita
introitus melioris. Bona mors, si peccata
moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors ne-
cesse est ut præcurrat; ut sequatur illa secu-
ra. Dum vivis in carne, morere mundo,
ut post mortem carnis Deo vivere incipias.
S. Bern. ep. 105.*

S. MODESTUS EPISC.
18. Decembris.

Nobiliores nemo *MODESTO* ha-
buit cunas. Rogas quales? carceres
fuere, in quos ad captivum patrem vix
natum mater asportavit, docuitque à
teneris Martyrem esse. Quinto à partu
mense inter preces uterque parens inibi
animam Deo reddidit, opulentam inibi
filio hereditatem vincula post se relin-
quens. At hanc invidens Maximianus
Imp. educendum viro Senatori ordinis

18. Dec. VITÆ SANCTORUM. 791
tradidit. Sperabat hic patris nomen; sed
cùm primum M O D E S T U S per ætatem
intelligere cunabula sua potuit, doluit
scilicet vel inscium se à parentum vesti-
giis deflexisse: & degenerem tam diu
se putavit, quousque fugâ Athenas de-
latus Christianis se junxit. Hic dum sa-
cro lustratur fonte radiantem ignibus
columnam in caput pueri descendere
Episcopus vidit. Cùm deinde è cive ge-
nium malum, è sorore verò heri sui
morbum depulisset, heredem hic *Mode-
stum* cum cæteris liberis suis scripsit. At
isti, quò potius accederet aliquid ad
hereditatem, quam decederet, Ægy-
ptio homini & à sacris nostris alieno
adolescens vendiderunt. Septem an-
nos cùm servisset, è servitute Deorum
tandem etiam dominum eripuit, & li-
bertus Solymas abiit. Ibi demum ad
Patriarchatus dignitatem evectus, cùm
veneno infectum fontem purgasset,
fontisque incolam serpentem neci, ca-
codæmonem sub cane latrantem fugæ
dedisset, hospitioque, quin in survitu-
tem illum dederant, coheredes illos
suos peramanter excepisset, dignatum
natalibus suis mortem obiit. Sed amisit
Ecclesia, vel cælo teste tunc columnam
suam. Imò non amisit; transtulit eò,
ubi ipsa sese ædificat. *Ex Menais.*

An non meritò coronabitur, qui sic

Ddd 4

cer-

792 VITÆ SANCTORUM. 19. Dec.
certaverit, mundum abjiciens promitten-
tem, irridens inimicum tentantem, &
quod gloriosus est, de seipso triumphans &
crucifigens concupiscentiam prurientem?
S. Bern. serm. 1. de Omn. SS.

S. MEGENGAUDIUS C.
19. Decembris.

ILla demum vera nobilitas est, non
pauciores virtutes, quam ceras que
potest numerare. Potuit MEGENGOR
Geldriæ Comes, idemque fortissimus
militum dux, & hoc nomine Imperato-
ri Ottoni III. cum primis charus. E
conjugē Gerbirge Zutphaniensi item
Comite cum filias IV. filium substulif-
set unicum, hunc ipsum in primo ætatis
flore, bello Bohemico amisit. Quid ex-
pectas? scilicet lacrimas vel armato Mar-
ti exprimendas, & dignos patre gemi-
tus? viduos matris capillos, & laceram
planctū pectus? omnia alia audies. In
funere filii mortuique vultu suum agno-
vere parentes, hoc est mortalem. Utri-
que mortem lecturam maturos ætate
fructos suos, quæ immaturos carperet:
satis oppidò jam vixisse parentes, qui
vixisse filium aspicerent. Convasare igitur
MEGENGOR & in tuto locare im-
pedimenta, opes, hoc est, in coenobio,
cui Adelhaidem filiam præfecit depone-
re;

20. Dec. VITÆ SANCTORUM. 793
re; ipse quoque animo à mundo abesse,
cùm non posset corpore; castitatem
deinceps cum conjugè colere; lectioni
sacrarum literarum se dedere; denique in
oculis nihil præter mortem & aternita-
tem habere. Ita non imparatum hæc of-
fendit anno ab obitu conjugis tertio.
Mortuus filia primò visus est, illa verba
Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur ju-
stus, & nemo recogitat*; tum alteri dein-
de è virginibus regio habitu fulgens num-
tiansque *Megengoris* nomen in *Mogengau-
dii* sibi mutatum esse. *Ex vitâ S. Adel-
haidis & Molano.*

*Christi humilitas nulli aspernanda divi-
tum, nulli est erubescenda nobilium. Nec
enim in tantum provehi potest qualibet fe-
licitas humana fastigium, ut aestimet sibi
pudendum, quod Deus in formâ servi nos
est arbitratus indignum. S. Leo serm. I.
de. Resurr.*

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

Sub annum partæ salutis CC. LIII.
Alexandriæ eodem tempore in Chri-
stianos sævitum est, & in latrunculos
animadversum; simili in longè dissimili-
mos supplicio. Fortè inter nomina ho-
rum nomen delatum est Genesii. Hic
quòd extra culpam esset; facile se purga-
vit.

D d d 5

vit.

794 VITÆ SANCTORUM. 20. Dec.
vit. Sed dum à latrocinii suspicione ab-
solvitur, ut Christianus accusatur. Hic
nihil negare jam Genesius, gloriari hoc
facinori. Latronibus igitur sociatus, pe-
jusque his ipsis habitus igne crematus est.
Hoc verò supplicii genere territus alius
quispiam è Christianis, cum nutare non
dubiis signis ad tribunal impium videretur,
ecce AMMON, ZENO & PRO-
IEMEUS (fortissimi milites) per me-
dium agmen penetrare, & cum verbis
non possent, nutu labantem ad constan-
tiam hortari. Itaque jam oculis annue-
re, jam manibus loqui, jam lacrymis &
gemitibus clamare, jam toto corpore
supplicare, ne indignum quidquam
Christiano admitteret. Hoc ipsum verò
cum oculos non posset fugere spectato-
rum, vulgum scilicet in se armarunt.
Tum verò nihil dissimulandum amplius
rati, in medium omnes prodierunt, &
Christum jam pleno etiam ore confessi
populum omnem in stuporem rapue-
runt, socios contra tyrannum mirum
quantum animarunt, ipsi verò gaudio
exilierunt, quod cæli civem, hoc est Mar-
tyrem, servassent. *Ex Epist. Dion. Alex.
apud Euseb.*

*Quo, quaso, dignum te iudicabis, qui
factus ad imaginem factoris tante in te ma-
jestatis non defendis dignitatem, & tu ho-
mo, cum in honore esses, honorem tuum non
in-*

21. Dec. VITÆ SANCTORUM. 795
intelligens, compararis jumentis insipientibus, dum nil spirituale aut aeternum elaboras? S. Bern. epist. 104.

S. THOMAS APOST.
21. Decembris.

DIVUS THOMAS, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse THOMAM, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cum ingenti mole arborem, & quam multi & homines & elephantum movere loco frustra laborarent, obsequentem ipse cingulo suo per millia x. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper sub cœptas Hispanorum navigationes vidimus. Cæterum fuit è sacrificulis tum temporis, qui suam manu filium mactavit, scelusque THOMÆ affinxit. Hic alium nullum pro se causam dicere THOMAS voluit, præter infantem mortuum quis credat. Absolvit disertis verbis infans THOMAM, & patrem suum damnavit. Enimvero his miris uti nuper arborem, ita nunc in sententiam Regem ac populum omnem traxit, si unos sacrificulos demas.

796 VITÆ SANCTORUM. 22. Dec.
mas, qui aliò ab invidiâ abstracti pre-
cantem ante sacram crucem THOMAM
sagittis primò, tum hastâ trajecerunt,
strenuum utique fidei propugnatorem,
qui, ut signo defenderet, cecidit ante si-
gna. *Ex Maffeo & Osorio.*

*Sicut Thoma, ita etiam inimicis suis
demonstratus est Christus vulnera, ut
convincens eos veritas dicat. Videtis vul-
nera, quæ inflixistis; agnoscitis latus,
quod pupugistis; quoniam per vos & pre-
pter vos apertum est, nec tamen intrare ex-
luistis. S. Aug. de Symbol.*

S. ANASTASIA MART.
22. Decembris.

ANASTASIA è Romano & patricio
sanguine patrem in fide agnovit
S. Chryfogonum. Nupta viro (Publio no-
men erat) à Christianâ religione alieno,
matrimonii usu semper abstinuit, sive
castitatis amore, sive superstitionis odio.
Interea tamen mater pro Christo vin-
ctorum audiebat, quos illa summis stu-
diis ultimisque servitiis colebat, tunc
præsertim, cum conjunx malus malam
mortem obiit, qui carcere omnibus-
que malis, dum vixit, Anastasiam
exercuit. Publio Ulpianus in impietate
suecessit, sed quòd vim in ferre casti-
simæ tentasset, oculis primò orbarus,
mox

22. Dec. VITÆ SANCTORUM. 797
mox vitâ ejectus, Publium ad orcum
quoque subsecutus est. Sub hæc cum be-
ne magnus numerus Christianorum in
navim perforatam imponeretur, certo
nafragio perituris dux *Anastasia* data
est. Sed neque sic navigantibus sidera
defuerunt. Visa est in velis D. Theo-
dora nuper è flammis cum tribus filiis
astris inferra. Hæc Helenâ magis propi-
tia navim ad littus appulit. Sed hem in
portu alia tempestas insurgit! *Anasta-
sia* tribus palis alligata igne exuritur;
focia turba omnis per diversa supplicia
fortes animos expirat, eâ in vultu &
oculis lætitiâ, ut ad nuptias ire omnes
dixisset. Et ibant, sed Agni; ituri por-
rò, quocumque hic iverit. quid? quod
vestigia sua, quò nos etiam sequi
sciremus, sanguine signarunt. *Ex
Metabr.*

*Contra mortifera blandimenta luctemur,
scientes in eo quotidiana martyria Christia-
nis deesse non posse. Si enim castitas & ve-
ritas & justitia Christus est; sic & ille,
qui eis insidiatur, persecutor est; & qui
ea in aliis defendere, & in seipso custodi-
re voluerit, Martyr est. S. August.
serm. 250. de Temp.*

S. VIC.

S. VICTORIA V. & M.
23. Decembris.

NEmpe nuptias VICTORIA parabat, nihil magis sollicita, quam ut ad eandem abhorrentem Anatoliam impelleret. Aiebat itaque nuptias primos homines celebrasse, DEO ipso paranympo. Easdem sacrosanctas ab omnibus gentibus, etiam Christianis, habitas esse. Christum nuptias adiisse & miraculo probasse; ipsum adeo despondere sibi Ecclesiam voluisse. denique quid liberis & nepotibus dubitaret orbem implere, quando, ut hic cresceret, Deus imperasset? Contrà pugnabat Anatolia, in primâ mundi ætate hæc locum habuisse, cum juvenem hunc crescere & impleri inquilinis opus erat. At nunc incolas non tam orbi quàm celo deesse. Christum non nisi e Virgine voluisse nasci, vivere morique virginem voluisse, sponsum Ecclesiæ non nisi Virginis esse. Neque verò se nuptias respuere, modo sponsum Deus esset. Videret ipsa, an hic terra filio postponendus esset? Nuper adeo se ex Angelis didicisse (& didicera) dotem huic unice virginitatem placere. Eois lapillis omnibus chariorem. Itaque in hunc amores suos se transfulisse. Quod si invideret VICTORIA, par-

24. 2
tam
His
rili a
batur
missi
paup
ad al
unica
factu
fusus
A
spirit
hass
lurab
cas,
verse
serm

S

H
tis h
succu
phos
crede
ceph
bellu
cit h
simu
verco

24. Dec. VITÆ SANCTORUM. 799
tam se esse etiam illi hunc conciliare.
His & similibus dictis jam dudum pa-
rili amore *Victoria* in Christum fere-
batur. Quò ergo cum sibi devinciret,
misso homine dotem in paranymphos
pauperes profundit, & in exilium acta
ad alteras jam nuptias se parat. Jamque
unica purpura nuptialis deerat. Bonum
factum: dedit hanc sanguis pro sponso
fusus. Ex *Adone & Aldelmo*.

*Amor rerum terrenarum viscum est
spiritualium pennarum. Ecce concupisti,
hæstisti. Quis dabit tibi pennas ut co-
lumbæ? quando volabis? ubi verè requies-
cas, quando hîc, ubi malè hæstisti, per-
versè requiescere voluisti? S. August.
serm. 33. de verb. Dom.*

S. NICOLAUS MILES.

24. Decembris.

Hanc militum ego periculosissimam
pugnam, puto, quam cum castita-
tis hoste Amore pugnant. Nam huic
succumbere, quid aliud est quàm trium-
phos suos vendere? *NICOLAUS* nostro
crede, qui cùm in *Bulgaros* movit *Ni-
cephori Imp.* auspiciis, ecce priusquàm
bellum hostis faceret, militi mulier fe-
cit hospitis filia. Ter impetum in castis-
simum fecit; sed ter *NICOLAUS* repulit
verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo
ante

300 VITÆ SANCTORUM. 24. Dec.
ante pugnam victoriam canere, solus ex
omni exercitu Nicephori victor. Etenim
sub noctem somnus NICOLAUM in
campum producit; vidit stantes utrim-
que acies, signa signis inferri, viros viris
concurrere, scuta scutis, pede pedem ha-
rere. Interea aspicit ex caelestibus ducibus
unum, qui decussatis in crucem pedibus,
aleam belli regebat, & victoriam ex suo
arbitrio dispensabat. Nam cum sinistrum
pedem dexter premebat, Romani; cum
sinister dextro incumberebat, Bulgari vin-
cebant. Sed & inter caesorum corpora
locum vacuum videt, auditque fatalem
eum sibi & commilitonibus suis futu-
rum fuisse, si Veneri heri palmam cessis-
set. Somnii veritatem cum sole dies
ostendit, & strages Romanorum, qui-
bus vincens primò, Bulgari ultimò
victoriam extorserunt. Tum enim verò
NICOLAUS rectius dehinc bellatu-
rus, nomen militiae religiosa dedit. In
hac tot trophaea posuit, quot pugnas pu-
gnavit. Illud nobilissimum omnium est,
quod *Nicolaus de Nicolao* statuit. *Ex*
Mensis.

*Vide quid tibi ante tribunal illud terri-
ficum respondendum sit de eo, quod in va-
no animam tuam, & animam talem; se
inveniaris nihil egisse amplius de immor-
tali & rationali spiritu, quam quod vis
pecus de suo?* S. Bern. epist. 104.

NA

NATIVITAS CHRISTI.

25. Decembris.

Euge nox omni die candidior ! Vides
 quæ nullus dies vidit. Surgite, ecce
 non ab undis sed stipulis Sol meus. Su-
 peri ! tam propè junctam soli quis um-
 quam lunam conspexit ? videntur è filii
 vultu latiores radios mutuetur maternus
 oculus ? Cæcus sum, nisi in hâc nocte a-
 morem D E I mei video : video, video in
 hoc speculo ruborem meum. Stabulum,
 stipulæ, panni arguunt : Boreas frigus
 pectoris accusat : bos afinusque ingratus
 clamant : loquaces puelli lacrimæ, & è
 parvo pectore magni gemitus damnant.
 An sisto igitur me reum ? at iratum me-
 tuo. At infans est : risu placatur. Ne-
 gant manus tam parvæ fulmen ferre : si
 ferre velint, fasciæ verabunt ; mater non
 feret. Et numquid non pacem Angeli
 nunciant ? Quid ? quod blando insu-
 per risu puer dulcissimus invitat, ob-
 vius etiam iturus, si pedes inferrent.
 Certè in amplexus brachiola offert. In-
 tam amica vincula non curram ? Imò
 pedibus plumbum denique demo. Ite,
 omnia puero vos membra substernite.
 Fœnum etiam vos estis. I, culcitra lin-
 gua esto : aptior V E R B O non potest esse.
 Et tu cor pulvillum præbe : tactu mol-
 Eee Isf-

802 VITÆ SANCTORUM. 26. Dec:
lesces. Vos quoque ite suspiria, & algen-
tem fove. Eia brachia in fascias; in bal-
nea oculi abite. Denique ignoscite, qui
aëra & rusticos mulcetis, filete Angeli.
Præ omnibus modulis vestris vox opti-
ma, vox vagientis placet.

*Ecce offertur tibi Iesus; curte obruii
suavis, extende manus, expande si-
nus; devotionem tuam probet tam actus,
quàm affectus. Filium qui tibi offertur,
suscipe fide, amplexare affectu, semperque
interubera commoretur. Gueric. serm. 2.
de Nativ. Dom.*

S. STEPHANUS M. 26. Decembris.

Primus pro fide Christianâ sanguine
suo STEPHANUS subscripsit, ut
purpurati in cælo agminis antesignanus
non immeritò habeatur. Sapientiâ
Deoque plenus, eoque ab Apostolis in-
ter VII. principes Diaconus adiectus,
mirum est, quàm multis magnisque pro-
digiis sive Christianorum animos erexe-
rit, sive fregerit dejeceritque Iudæorum.
Et movit ea res bilem indurato ad om-
nem malitiam populo, ut, veluti legem
profanasset, in jus raperent. Sed ille pro
DEO, & se ita dixit, ut ad oculorum
verborumque fulmina attoniti omnes
hærerent, jamque non in hominem
pugnare se, sed Angelum crederent.

S T E

26. Dec. VITÆ SANCTORUM. 803

STEPHANUS hoc acrius victis instare, tunc præsertim, cum ad spectaculum celo se effundente, virtutis arbitrum ponere dextram Patris stantem *Christum* habere se vidit. Itaque cum urbe exturbatus saxis obrueretur, in genua subsidens egregius triarius fortissimè omnia excepit; DEO identidem nunc se, nunc hostes suos commendans. Et licet horum causa pessima esset, tam bono tamen patrono perorante, veniam impetravit Saulus, non ita multo post *Christo* conciliandus, & in Paulum mutandus. Tam verum jam tunc fuit, Martyrum sanguinem Christianorum semen esse.
Ex Act. Ap.

Etiam nos exemplo S. Stephani pro Domino pugnare non pigeat. Indicta nobis est pugnandi necessitas, Implacabiles sunt adversarii nostri, contra quos spiritualia arma sumenda. Corde certandum est, & corde vincendum. Laur. Iust. serm. de S. Steph.

S. MARINUS M. 26. Decembris.

A Ge Sparta, & vel omne juvenatæ tuæ robur cum unius adolescentis **MARINI** fortitudine compone. Hic Romanus, & patricius, flagra tamen ecce concoquit. Catenas ut torques induit. Carceri ut palatio arridet. Suspensus
Ecc 2 ab

304 VITÆ SANCTORUM. 26. Dec.
ab equuleo despicit tyrannum. In lacero
uncis corpusculo animum jactat non fau-
cium. Serrâ ligneâ secandus gaudet ge-
minus pugnare. In crate velut thoro ac-
cumbit. Ignis ubi subjicitur, flammâ
Hercules invitat. Dum plumbum su-
perfunditur liquatum, blanditias pro-
bat. Dum in sartagine immittitur
flammanem, laudat delicias. Arboris
ramis distrahendus evadit Milone fortior
puer. Iam ad feras damnatus, ecce col-
ludit his, & pardus pedes veneratur lin-
guâ blandâ; manus tigris exosculatur;
collum leo blandus amplectitur. Sed
à feris in succensam fornacem ducitur
inter Angelorum comitatum. Scilicet
post binos dies aurum exit. Denique ad
gladium vocatur. Sed trecrederes ad
pramiâ invitari. Quid? quod mortuus
perrexit tyrannum fatigare. Custodes
enim corpori additos fulmine fugavit,
dum terrâ hoc Theophilus quidem man-
daret; & Martianus iudex à partu suo
(vermibus) periit corrosus, inhone-
stum, sed vivum tamen nactus sepul-
chrum. Ex Mart. Rom. Pet. de Natal. &
Ferrar.

*Gravis est nobis inimici tentatio, sed
longè gravior illi nostra oratio: lædit nos
iniquitas ejus & versutia, sed multo ma-
gis nostra cum simplicitas & misericordia
terquet. Humilitatem nostram non suffi-*
ret.

26. Dec. VITÆ SANCTORUM. 809
net, writur charitate nostrâ, obedientiâ
cruciatur. S. Bern. serm. 3. de Dedit.

SS. INDES & DOMNA MM.
26. Decembris.

DOMNA superstitionis in aulâ Maxi-
miani Imp. summa Antistita, dum
quæ fortiter egerunt Apostoli, legit, &
aures Christianæ dat Virgini, sacrificare
rectius Christo discit, & jam semet
parat immolare. Tam sancti propositi
socius, qui illi à cubiculis erat, INDES
est factus. Cum hoc primo omnium au-
rum & argentum in manibus miserorum
occultat. Tum cibos, quos quotidie
Imperator lautissimos submittebat, ad
eosdem transmittit, ipsa cibario pane &
aquâ famem sitimque martyrii accendit.
Ea res cum aulam omnem in admira-
tionem raperet, curiosus Eunuchus
in cubiculum se penetrat DOMNÆ, &
cum libro, de quo diximus, & cruce,
itemque thuribulo & cistellâ, quâ deli-
cias suas panem Angelorum asserva-
bant, rem omnem in lucem protra-
hit. Cæsi igitur fame ultimâ excrucian-
di in carcerem concluduntur. Sed num-
quam aliâs tam opiparè vixerunt, quan-
do mensam Angeli posuerunt omni-
bus lautitiis instructam. Inter hæc DOM-
NA unicâ zonâ, quam gestabat, auro &
Eee 3 gem-

806 VITÆ SANCTORUM. 26. Dec.
gemmis gravem, per fenestram demissâ,
totam pauperum cohortem vestivit.
Mox, ut cum cœnobio aulam liceret
mutare, prudenter desipere se adsimu-
lavit. Iterum deinde insidiantem Maxi-
mianum virili veste elusit, cumque jam
non hanc modò, sed animum etiam
virilem induisset, & IN DEN mari mer-
sum extractumque tumulasset, cæsa pro
Christo, & in ignes coniecta, ex Sa-
cerdote rectè victima est facta. Ex
Metaphr.

*Audiant Christiani qui quotidie cor-
pus Christi attingunt, quantam de ipso
corpore sumere possint medicinam; quan-
do mulier totam rapuit de solâ Christi
fimbriâ sanitatem. Sed quod nobis flen-
dum est, nobis medicina ipsa retorquetur
ad vulnus. S. Pet. Chryl. serm. 34.*

S. CONSTANTINUS CONE.
26. Decembris.

Natus est hic CONSTANTINUS
Hebræus, vixit verò Christianus,
cùm Christianum alium, qui in fossam
lapsus signo crucis se munierat, sur-
gere incolumem vidisset. Ab eo tem-
pore ita CHRISTI crucisque amore
arsit, ut flammæ pectoris prodigiosus
in vultu splendor proderet. Impuram
è gente suâ puellam ad illicita se pellicentem

26. Dec. VITÆ SANCTORUM. 807
cientem cruce neci dedit ; cruce vitæ
reddidit. In canobium deinde , divi-
no ductu , cum venisset , dum Serva-
toris è cruce pendentis pedibus osculum
tulit , Servator ipse amplexum ille re-
pendit , simul suâ manu ductam crucem
fronti ejus impressit. Ipse quoque locum
eum , quo sacris undis est tinctus , pedum
suorum vestigiis insignem ; eum verò ,
quo preces solitus est facere , caelesti-
bus odoribus nobilem fecit. Jam tem-
plorum portæ spontè illi pandebantur.
Totus oculus illa etiam , quæ in ani-
mis hominum gerebantur , pervidit : un-
das sicco , cum libuit , pede perambula-
vit , terrâ obrutus umbilico tenus xz.
dies sine cibo duravit. Obiit verò anno,
postquam sacris est initiatus , VI I I I.
verissimus Abrahæ filius. *Ex Menais.*

*Cum cruce signaris , in mentem tibi
veniat omnis vis , quam crux continet ,
ac tum iram omnesque à ratione adversos
impetus extinxeris. Cum frons consigna-
bitur , aut reliqua membra , facit ut ipse
hostiam Deo gratum offeras. S. Chryso-
st. de Ven. crucis.*

Ecc 4

S. IO-

S. IOANNES APOST.
27. Decembris.

ECCE, MATER magna, filius tuus!
 Ecce quisquis filius MARIÆ es, ger-
 manus VIRGINIS Sodalis IOAN-
 NES, cui ultimum cœnas Christus in
 pulvillum pectus suum, moriens in ma-
 trem, matrem dedit suam, nostram et-
 jam deinceps, si Ioannes sumus. Asiam
 administravit. Exul patriam tamen cele-
 stem, aliaque quæ scriptis mandavit, ar-
 cana vidit. Venenum, quòd cruce tem-
 perasset, innoxium libit, nec ab hoc
 tantum abhorruit, quantum ab hereti-
 cis, Cerintho præcipuè, quicum ne la-
 vare quidem eisdem in balneis voluit. A-
 morem eius aquæ multæ non potuerunt
 extinguere. Magis etiam arsit, cum oleo
 Romæ ab igne bullienti immissus fuit.
 Aiebat summam legis *Amorem esse*. Illud
 unum in ore habuit: *Filioli diligite alte-
 utrumque*. Certè quantum animos dilexe-
 rit, argumentum ingens iuventæ nescio
 quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus
Ioannes Episcopo unicè commendaverat,
 sed pessimo custodi. Ecce adolescens is
 capitur ab animorum prædonibus (so-
 cios hodie malè dicimus) mox ipse cor-
 porum etiam latro, mox dux latronum
 evadit. Subinde *Ioannes* adest, & pre-
 tiosam

28. Dec. VITÆ SANCTORUM. 809
tiosam ab amico depositum exposcit.
Amisum ubi audit, graviter fidem ma-
lam, objurgat, in silvas deinde excurrit
(senio alas amore ministrante) visam-
que prædam tandem insequitur, dum
lacrymis suis sistit, canisque, ample-
xibus impeditam in viam reducit.
Cessit itaque feliciter hæc venatio. Ho-
die multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia
retia fugiunt, maluntque ab orco rapi,
quàm à cælo capi. *Ex Bar.*

*Per B. Ioannes vestigia ad Redempto-
rem nostrum, pleno cordis amore tendamus:
hujus doctrinam velut coruscant lampadum
nostris semper gressibus præferamus; pu-
deat jam terrenis incumbere, qui per spei
desiderium ad cælestem cœpimas glo-
riam festinare. P. Dam. serm. 2. de
S. Ioan.*

SS. INNOCENTES MM.

28. Decembris.

Mala omnia nunciabat Herodi nun-
cius à Magis allatus. Quid? mea
domum corona erit, quæ duos Reges
ferat? aut regni mei alienum heredem
vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin
caput illi nunc aufero, ne ille diadema
michi? purpuram si ambit, domi habet;
suo pingat de sanguine. At ne novi qui-
dem hostem meum. Hoc plus etiam
E e e 5 metuo.

810 VITÆ SANCTORUM. 28. Dec.
metuo. Certè infans est. Pereat hic om-
nis in regno, ut unus ille pereat. Etiam
innocens? jam nocens est, qui hostis est.
Sed qui hostis? quia ego hunc timeo. Sed
tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc
Regis nomen est. I, miles, omnes bimul-
lorum cunas everte; balneum his para
cruentum, sed dignum hoste. Hæc ille;
cùm intereà Angelus parvulum Regem,
magnumque exulem in Ægyptum, glo-
riosâ fugâ, deducit. Sævit nihilominus
barbarus mucro. Ubique clades, & fu-
nera. Vidisses majora vulnera quàm cor-
pora, plus lactis fundi quàm sanguinis;
hunc saxo, illum capu, & frangi; hunc è
gladio, illum ab hastâ pendere, multis
teli vicem militis vultum esse. Dedit ta-
men pœnas tyrannus: morborum enim
omnium theatrum factus, eodem anno,
cùm tot homicidia parricidio insuper
maximi natu filii cumulasset, vitâ regno-
que excidit, periitque. At prætexitata illa
turba cælo scilicet vivit, ridetque etiam
num tyrannum, quod talis infantes ti-
muerit. *Ex Baron. & Saliano.*

*Si temporalis & speciosa nos delectat de-
mus, quanto magis spiritualis mansio de-
cova & celestis nostrum sibi debet vindicare
affectum? non minus in spiritualibus quàm
in temporalibus inveniamur cupidi, potissi-
mum cùm ista momentanea sint, illic aeter-
na. S. Laur. Iust. de SS. Innocent.*

S. THO.

S. THOMAS EP. M. 29. Decembris.

Non jam primùm sanguine piorum
 rigatis Anglia. Iam olim fuso THO-
 MÆ cruori fructum debebas, nisi cheu!
 sterilitatem hæresis in duxisset. Sed ego
 ad THOMAM me verto. Adolescens cum
 eripere aquis accipitrem laboraret, ipse
 iisdem panè abreptus est. Sed molæ
 rota exitium aliàs adnatantibus, tunc
 sponte suâ consistens, THOMÆ scala
 fuit. Debeatur scilicet diutiùs An-
 glia regno, cuius Cancellarius postea
 creatus à rege est. Paulò post hic infu-
 lam Cantuariensem addidit: quam tan-
 ti THOMAS fecit, ut hanc postea regi
 edictis impiis contra Ecclesiam pugnan-
 ti non dubitarit opponere; quin solâ
 cruce armatus cum irato congredi. In
 illâ pugna, ut amat fieri ad tribunalia,
 damnatur innocentia ad vincula. Sed
 libertas Christiana exilium elegit, in
 quod ipsum rex omnes amicos THO-
 MÆ egit, ut si non suæ suorum certè
 miseriæ succumberet. Sed his calamita-
 tibus ille ad martyrium, velut tyro ad
 palum, se exercebat. Nec multò post
 ipse conspicuus Christus ad palmam in-
 vitavit. Ergo redux in Angliam in tem-
 plo invaditur. Prodit THOMAS in am-
 plexus hostium, vetat primò cuiquam
 alteri

812 VITÆ SANCTORUM. 29. Dec.
alteri è suis manum injici, jugulum de-
inde præbet, cadit, & muneris sui ne-
que post mortem oblitus, bene omni-
bus è feretro dicit. O nunc iterum ali-
quando THOMA, bene Angliæ tuæ præ-
care. Ex Edwardo.

*Nihil in homine, cui curiositas profit,
invenies. Frivola prorsus & inanis ac
nugatoria consolatio: & nescio quid illi
durius imprecer, quàm ut semper habeat
quod requirit, qui jucunda quietis fu-
gitans curiosâ inquietudine delectatur.*
S. Bern. in sent.

S. MARCELLUS CONF.
29. Decembris.

A Pameæ natus MARCELLUS patrum
morte puer amisit. In puero tamen
hoc miseri patrem suum invenerunt,
cùm hereditatem omnem his cederet.
Ephesi quoque quod scribendo lucellum
sibi parabat, habebat cum egenis com-
mune. Pòst verò Abbas certavit etiam
cum Deo liberalitata. Sed cur hic ab
homine vinceretur? Itaque cùm x.
nummos, qui uni reliqui erant, omnes
erogari in captivos nuper Episcopos jus-
sisset, mox dono xc. talenta recepit.
Succensuit nihilominus dispensatori,
quòd uno retento nummo, scenus x. ta-
lentis imminuisset. Taceo horreum va-
cium

29. Dec. VITÆ SANCTORUM. 813
cum mox frumento plenum, quod unis
scilicet precibus suis MARELLUS
conuexit: quas quidem quam acceptas
haberet Deus, ille vidit, qui supplicem
humo ab Angelis vidit attolli, & solis
instar nitere. Porro corpora agrorum
ita curabat, ut simul medicinam animis
faceret. Quare Iudæus in morbum to-
ties, quoties in perfidiam est relapsus,
dum ludentem cum DEO & Divo mors
castigavit. Jam cum Byzantium rubs
tota flammis delenda esset, mediam
servavit *Marcellus*, igne lacrimis ex-
tincto. Cœnobium ipsius cum spoliare
pararent milites, lux ingens hoc tege-
re visa, in luce crux, è cruce verò tot
fulmina, quot tela, quæ non jam ma-
nus in prædam, sed pedes in fugam do-
cuit prædones conijcere. Addo illud,
cum Reipublicæ causâ Leonem Imp. adi-
ret, honoris causâ ab Angelis dedu-
ctum esset, uti tam nobiles stipatores
corporis monacho ipse puto Imp. invi-
deret. *Ex Metaphr.*

*Homo qui natura donum, munus ani-
mæ, rationis beneficium, excellentiam
sensus, artis industriam, cultura bonum
per steriles actus evertit, mergit auctori
fructum, cultori gratiam negat; sicut
arbor è terra, sic iste è vitâ meretur exci-
di. S. Petr. Chryf. serm. 106.*

S. EB-

S. EBRULPHUS CONF.

29. Decembris.

EBRULPHUS è regis Gallia ad Christi aulam transiit, haud paulò honoriori loco futurus. Permoveere ad transitionem illa Christi verba, quibus non modo EBRULPHUM, sed te etiam, Lector, hodie invitat: *Si quis vult venire post me abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc, inquam, cum attentius apud animum suum considerasset EBRULPHUS, quam vulgo solemus, non insuper habendam ratus est conditionem, quam non homo rex, sed Deus offerret: mox igitur conjugii, liberis, aulae opibus, & clientelis vale ultimum dixit. Accessere comites Ebrulpho tres alii, quibus omnibus in solitudines dux bonus Angelus bonus fuit. Ibi, ut quod initio dixeramus, non aulam, sed dominum scires deseruisse, cellas exadificavit centum & quinquaginta, totidemque clientes numeravit, aluitque, commeatum subinde calo suppeditante. Nam cum dimidius fortè pauperi cessisset, adfuit continuo mulus cibariis onustus. Plus etiam sollicitus fuit viaticum divinum abeuntibus vitâ ut daret: quare cum sine hoc è So-

30. M
dali
voca
ire f
ager
mu
anin
Mon
vixit
faret
Diac
voti
d. x
Fe
datu
calor
tua;
nosse
bus
mus
ferm
S
M
decu
min
corp
ror
quod
hili

30. Dec. VITÆ SANGTORUM. 815
dalibus quidam decessisset, in vitam re-
vocavit tantisper; tum demum cum hoc
ire feliciter iussit. Ipse quoque ultimùm
æger præter hunc cibum alium nullum
multò tempore admisit, stomacho (vel
animo potiùs) omni humana respuente.
Mortuus deinde inter preces suorum re-
vixit, dum affem in miseris ipse dispen-
saret. Funeri dum illacrimatur in sacris
Diaconus, morique etiam ipse exoptat,
voti damnatus unã tumulatur, anno
D. XC. Ex Surio.

*Felicitas magna Christianorum, quibus
datum est, ut paupertatem faciant pretium
calorum. Non tibi displiceat paupertas
tua; nihil eã potest ditius inveniri. Vis
nosse quã locuples sit? calum emit. Qui-
bus thesauris conferri potest, quod vide-
mus paupertati indultum? S. August.
serm. 28. de verb. Apost.*

S. PHILETÆRUS CONF.

30. Decembris.

Mirentur alii in PHILETÆRO Pro-
cos. Nicomedix filio illustre forma
decus, quo illum ævo suo Diis parem ho-
mines fecerunt; ego in pulcherrimo
corpore pulchriorem animum demi-
ror exosculorq̃ue; & hoc amplius,
quòd animi æstimator ipse egregius, ni-
hili membrorum decorem fecit, omni-
busq̃ue

816 VITÆ SANCTORUM. 30. Dec.
busque tormentis præbuit lacerandum.
Primum Diocletianum vicit, qui cum
blasphemus Christum inceseret, vindex
divini honoris PHILETÆUS, terram
caelosque ad iras movit. In fornacem
deinde succentam injectus, se ipso
pulchrior egressus est. Iam sub Maximia-
no virgis uncisque ferendum in modum ac-
ceptus, omnium tamen in se oculos Su-
perum rapuit, & tum denique his for-
mosus est visus. Ferae sive formæ & ip-
sæ, sive fortitudine adolescentis captæ,
ad pedes se abjecerunt victoris; feras ve-
rò cum duo homines induissent, gladio-
que Martyri imminerent, in loco obri-
guere. Ultimò cum virtus hæc oculos
iam tyranni etiam perfringeret, exulare
iussa est. Et ecce de viâ morbæ demonel-
que mali cedere, pedibus Dii se & templa
sua substernerè: quibus permotus Comes
cum VI. militibus fidem nostram est
amplexus. PHILETÆUS cum Eubio-
tum virum sanctitatis famâ celeberrimum
adiret, monitus hic ab Angelo bono ob-
viâ Martyri progressus est. In ejus an-
tro Divum septimo die, socios verò
duodecimo, ab exilio mors absolvit.
Ex Menais.

*Quare tuum bonum. Nemo bonus nisi
si unus Deus: summum bonum hoc est
bonum tuum. Pecori quid bonum est, nisi
implere ventrem, dormire, gestire? Tale*

31. Dec. VITÆ SANCTORUM. 817
tu bonum quæris? Cohæres Christi quid
gaudes, quia socius es pecorum? S. August.
in Psal. 102.

S. SYLVESTER PAPA. 31. Decemb.

Patria SYLVESTRO Roma, Romæ,
hoc est, patriæ, pater ipse SYLVESTER
fuit. Hoc tamen orbare Romam Urbis
probrum Tarquinius voluit. Sed SYL-
VESTER ad tribunal citatus, novo mo-
re mortem judici reus indixit. Dictum,
factum. Piscem dum cœnat, os fortè
ex hoc gutture receptum Tarquinius ha-
mum mortis esse sentit. Post hæc dum
Constantinus remissius rem Christiana-
nam curat, & sopita nuper iterum in
pios persecutiones rærudescunt, exul
SYLVESTER montem Soracten insidet;
impietatis foeditatem, ut videret Im-
perator, leprâ inficitur. Sacrificuli, le-
pram ut abluat, balneas è parvulorum
sanguine suadent. Ingemunere ad con-
siliium impium omnes Romanæ matres,
cùm audirent sanguini, quo vel ma-
num aspergere scelus semper non ex-
piandum habitum est, totum velle Impe-
ratorem innatare; certè innatare rectiùs
tot matrum lacrimis jam poterat. Et
verò ejulatus, & comploratio totâ urbe
facta aures Imperatoris exoravit, facti-
que pœnitens, censuit ipse hoc quoque
ingens scelus esse, facere scelus voluisse.

Fff

In-

818 VITÆ SANCTORUM. 31. Dec.
Interea principium Apostolorum species
dormienti oblata vocare *Sylvestrum* ius-
sit, qui sanctiores illi thermas osten-
deret. Vocavit, & Christianis undis
lotus, lepram corporis animique exiit.
Triumphum *Sylvestro* mortuo anno ccc.
xxxv. cælum decrevit. Ex *Baronio*.

*Mittitur Virginis Filius, Filius Dei al-
tissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus
meis pretioso sanguinis sui balsamo medea-
tur. Agnosce homo, quam gravia sint vul-
nera, pro quibus necesse est Dominum Chri-
stum vulnerari. S. Bern. serm. 3. de Nat.*

S. BARBATIANUS CONF.
31. Decembris.

BARBATIANUS Sacerdos Antio-
chiâ Romam venit, credo ut virtus
viri, & prodigia facilius inde in orbem
se defunderent. Etenim cum sub adven-
tum suum cæcum, alteramque oculis la-
borantem puellam curasset, oculos om-
nium in se vertit: & cum servulum Imp.
Valentiniani per scalas precipitem in pe-
des erexit, ipsum sibi Imperatorem de-
vinxit. Igitur à Placidiâ Augustâ Ra-
vennam deductus, auctor huic coepit
esse, ut D. Ioannis, quem Evangelis-
tam dicimus, honori templum augu-
stum moliretur. Persuasit, & ubi ad
fastigium fabrica fuit deducta, ecce ipse
Divus Ioannes Pontificali habitu insignis
eodem

31. Dec. VITÆ SANCTORUM. Sig
adem sacrare visus est, & miraculi vesti-
gium sandalium dextri pedis Augustæ re-
linquere. Atque hoc templum, cum oculi
totum se BARBATIANUS addixisset,
miraculis pluribus decoravit. Nam cruce
(familiari jam medecinâ) & strumam à
collo nobilissimi adolescentis, & à ma-
tronâ sanguinis fluxum pepulit; atque hæc
cum grata sæpius ad templum inviseret,
sinistrâ suscipione ductus maritus, BAR-
BATIANUM in templo stricto ferro aggre-
ditur. Sed manus, pes, lingua hominis
tam diu in loco obriguerunt, dum fa-
cilis etiam in hostes medicus BAR-
BATIANUS precibus suis emolliit. Ex
Ferrar.

Multum meruit de nobis Deus, qui
immeritis seipsum dedit nobis. Quid enim
melius se ipso dare poterat vel ipse? Ergo
si Dei meritum queritur, illud est præci-
puum, quia prior dilexit nos dignus pla-
nè qui redametur præsertim si advertatur;
Quis, Quos, Quantumque amaverit. S.
Bern. de Dil. Deo.

3. COLUMBA VIRG. MART.
31. Decembris.

Innocentis COLUMBÆ sanguinem
qui fundere hodie potuit, an non re-
cte hunc accipitrem dixerò? Fuit hic Au-
relianus Imp. qui ubi Senonas (patriam
COLUMBÆ) venit, illico in virginem
E ff. 2. castil-

820 VITÆ SANCTORUM. 31. Dec.
castissimam involavit, prædamque filii
amoribus servaturus, precibus, promif-
sis, minis à Christi amplexibus virgi-
nem studuit avocare. Sed qui potuisset
avelli, quæ his se tam arctè illigaverat, he-
dera? Ergo aut sacrificia, ait tyrannus,
aut tute igne sacrificabere nec prius quam
quem maximè amas pudorem Veneri li-
taveris. Risit ad illa virgo, ad hæc cohor-
ruit. Nec mora, ad lupos abducitur; &
ecce, Barucha juvenis princeps audaciæ
& impudentiæ irrupit. Quid faceret
inter unguis milvi COLUMBA? Ge-
muit, & gemitus surdis hominibus au-
dit in theatro urfa, accurrit afflictum-
que humi DEI rivalem tam diu ter-
ret, dum ille DEO manus, virgo ve-
niam dat. Intereà adibus Aurelianus
irâ flagrans, ignes subjicit. At calum-
hos imbre, mox gladio cæsa COLUMBA
sanguine extinguit. Ex Ferrario.

*Si diligenter attenderis, ubique laqueos
inimici deprehendes voluptatum illecebris
tamquam melle circumlitos; ut si quis
voluptatis suavitatem gustare velit, la-
que capiat. Noli mel hoc concupiscere;
dulcedinis enim illius extremum felle re-
plet amaret suos. S. Ephrem in recta
vitæ ratione.*